



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Paupertas extremæ impatie[n]tiæ caussa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

mus criminatur malignus, quòd non plenè subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur: Vnde Salomon: Melius est mori, quàm indigere. Et, si profanas audire voces libet, ait ille:

*Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri viuunt.  
Praefertim quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam.*

Plaut. in Rud.

Et alius: Heu me miserum, perij malè perditus, pessimè ornatus eo.  
*Tantum gemiti, & mala molestia hic dies mihi obtulit, famem  
& pauperiem.*

Apud eundè  
Euclio in Au-  
lularia,

*Perditissimus ego sum omnium in terra.*

*Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri  
Perdidi, quod custodiri sedulo? egomet me fraudauit,  
Animumq; meum, geniumq; meum, nunc eo alij  
Latificantur, meo malo & damno: pati nequeo.*

Quàm multos audiuius, amisso marsupio, ad laqueum cucur-  
rissè? Adeò restim quàm inopiam pati maluerunt.

Atque vt diuinum oraculum audias: *Nequissima paupertas in ore impij.* Quod multa exempla confirmant, vno hic, sed valde luculento rem demonstrabimus, quod Bartholomæus Bononiensis in hunc ferè modum recenset. *Antonius Vrcens Codrus, Grammaticus celebris, Forolinij cubiculum habebat, in penitiorè palatij parte, varijs quidem ornatum picturis, sed adeò in prima diei parte obscurum, vt nisi lucerna beneficio, ne parietes quidem ipsos discernere posset. Vtebatur itaque lucerna fictili, rare pulchritudinis; in cuius summitate calatum erat: STVDIA LVCERNAM OLENTIA OPTIME OLENT. Hanc cum domi inextinctam reliquisset, incendiij causam fuisse creditum est. Nam matutino tempore, cum negotij causa in forum se contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est. Perijt liber ab eo compositus, qui inscribatur Pastor: perièrè & reliqua eius bona. Fama est, ad primum incendiij nuncium tantam animo imbibisse iram, vt exclamans veluti furore quodam concitus, ad regiam usq; praecepiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi astans (neq; enim ob incendium ingredi licebat) Quodnam ego, inquit, tantum scelus concepi, Christe; quem ego tuorum vniquam lasi, vt ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conuersus postmodum ad simulachrum Virginis: Audi Virgo, ait, ea, qua tibi mentis compos, & ex animo dicam: Si fortè cum ad vltimum vita sinem peruenero supplex accedam ad te opem oratum.*

VIII.

Eccli. 13. 30.

Barthol. Bo-  
non. in vita  
Antonij Vr-  
cci Codri,

tum, ne me audias, neue inter tuos accipias, oro; cum infernis dijs in aeternum agere decreui. Qui aderant, verbis quidem, quod poterant, ipsius iram lenire conabantur: sed clausa erant aures, obstrepente ira: qua adeo oppressit hominem, ut obiurgatis prius amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposuerit frenos amenti gradui, quam in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctū urbem petens, eum portas offendisset clausas, in fini aceruo prostratus, lucem expectauit. Mane verò urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstruxit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonne ergo grande malum est paupertas? Et tamen, ut initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, ut verius dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

## CAPVT. II.

Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.

I.



Agnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hæc plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectius æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prauaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cum ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc stetitis: quia ridebitis, &c. Veruntamen ve vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mauult esse Lazarus, quam epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in celo, boni*

Jerem. 12. 1.

Luc. 6. 21.